



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicæ Sive Ius Ecclesiasticvm

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

III. De Effectibus Exemptionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62656](#)

- reus contra in id trahatur & pulsetur in-
vitus atque imparatus ; ut proinde mi-
sera & in causa casum prona foret ejus
conditio , si non nisi una defensione uti
posset , cit . Perez n . 29 .
29. Quin reus pluribus , non solum di-
versis , sed etiam contrariis exceptionibus
uti potest : non quidem absolute & co-
pulativè , sed disjunctivè , aut sub condi-
tione ; sic enim Parochi super decimis
agenti opponere reus potest , privilegium
exemptionis : vel , si istò tutus non sit ,
Canonicam prescriptionem . Sic , ad pe-
cuniae mutuatae restitutionem conventus ,
eam non acceptam : vel , si accepta est ,
eam jam solutam , vel remissam excipi-
dò opponere potest : dummodo id bona
fide fiat , Dynus in Reg . Nullus cit . n . 6 .
& Pirrhing ad bane Rubric . n . 48 . Cui
non adveratur Regula de eo , qui con-
traria allegat , non audiendo , l . i . C . de
Furtis ; quia auctori posita magis est , quam
reto : cui favore libertatis utroque Jure
indulgetur ; ut quovis modo & quibus-
vis allegationibus , etiam contrariis , se
defendat : dummodo sibi non contradic-
cat , allegationum contrarium utramque
veram esse asserendò , sicut continget ,
si excipiendo , se privilegiò & prescrip-
tione exemptum , solvisse & debitum
esse remissum , non occidisse & occidisse
ob necessariam sui defensionem , absolute
& copulativè asleveraret , Dynus cit . n . 6 .
& Perez cit . n . 28 . Quia de re sermo re-
dibit ad Reg . Nullus cit .

ARTICULUS III.

De Effectibus Excep- tionis.

S U M M A R I U M .

31. Exceptionem probare reus tenetur :
32. Non tamen intentionem auctori ,

33. Neque iste replicandò rei exceptio-
nem fateri censetur :
34. Nisi confessio verbis clarè expressa ;
35. Vel præmissa sit exceptioni .
36. Exceptiō probata actionem exclu-
dit ,
37. Perpetuo vel saltē ad tempus :
38. Et fidejussori prodest , si Realis ;
39. Non etiam , si Personalis sit ,
40. Eaque fidejussor ex propria persona
se tucatur .
- Xceptionis duo præcipue sunt Effe- 31.
tus Primus , quod reum faciat a-
ctorem , l . i . ff . hic , quoad onus
probandi ; cum , sicut auctor inten-
tionem suam , ita exceptionem suam
probare teneatur reus , l . Si pactum g .
l . In exceptionibus 19 . pr . & § . 2 . ff . de
Probat . Secus auctori intentionem suam
plene probanti , succumbet & condem-
nabitur in expensis , Speculat . de Ex-
pens . § . 3 . num . 4 . & Pacianus de Probat .
Lib . 1 . cap . 58 . n . 2 . & 9 . Probanti , in-
quam ; quia , auctore intentionem suam non
probante , reus ei contradicendo , et si
aliud non præstiterit ; ac proinde etiam
si ad auctori intentionem elidendam ex-
cipiendo nihil opposuerit , aut exceptio-
nem ei oppositam non probaverit , est
abfolitus , c . Fin . § . Sanè de Jure juran-
do & l . Si quidem g . C . hic , Panormit . in c .
1 . de Ord . Cognit . num . 10 . Alexand . de
Nervo ad presentem Rubric . n . 7 . & Pa-
cianus cit . cap . 58 . n . 57 . Ubi

Celebre & in praxi utile dubium 32.
est , an reus excipiens contendens sit confi-
teri , quæ continentur in exceptione , vg .
an , centum ex mutuo debitos petenti , ex-
cipiendo oppones factam solutionem ,
vel pactum de non petendo , contendens sit
debitum confiteri . Ratio dubitandi mi-
nimè levis est ; quod , qui confiteretur ali-
quid , confiteri censeatur , quæ ex eo necel-
lari sequuntur , arg . e . Translatio 3 . de
M m m 2 Consist .

Constit. & Regulariter, qui vult cōsequens, velle cōfiteatur & antecedens, arg. §. Idemque 2. Instit. Quibus ex caus. manumitt. & l. Illud 76. ff. de Adquir. heredit. Sic enim ab excommunicacione absolucionem petens, & per transactionem ab Episcopi jurisdictione se exemptum, excipiens, censurā illā se ligatum, aut Episcopali jurisdictioni aliquando subjectum fuisse, confiteri existimatur, c. Venerabilem 34. V. Fuit quoque, de Elec. &c. Praterea 10. de Transalt.

Sed huic rationi & pro ea allegatis Juris textibus pravalet clara decisio Innocentii III. c. Cām venerabilis 6. negantis, eum, qui excipiendō afferit, Ecclesiam ex permutatione cum Episcopo factā à se obtineri, hac sua exceptione Episcopum ejus dominum antē fuisse, confiteri: & l. Non usique 9. ff. bīc, iisque consona Regulae, Exceptionem obijcienſ non videtur de intentione adversarii confiteri, quæ est 63. in 6. Ratio duplex est. Una; quod actus agentium non operentur ultra intentionem eorum, l. Non omnis 19. ff. de Reb. credit. exceptionem autem auctori obijcienſ reus plus non intendat, quām excludere ab eo propositam actionem, l. Exceptio 2. ff. & pr. Instit. bīc; ac proinde illa haberet non possit pro confessione intentionis ipsius auctoris; quia ita ultra excipientis intentionem progradientur; reus enim excipiens auctoris intentionem non firmare, sed elidere intendit. Altera & melior ratio est; quod exceptio opposita cōfiteatur sub condizione, si auctor intentionem suam, vg. mutuum datum, dominium, permutationem antecedentem probabit; cum enim utroque Jure recepta Regula sit; quod, auctore non probante, reus, eti nihil præstiterit, sit absolvendus, c. fin. §. Sande, de Jure-jurando, l. Auctor 23. C. de Probat. &c. reus opponens exceptionem id facere cen-

featur ea conditione; ut, auctore non probante suam intentionem, nec ipse probare teneatur, & haec ipsi non oblit.

Sicut reus excipiendō auctoris intentionem, sic illius exceptionem replicandō elidens auctor non confitetur; cum, si exceptio ad auctoris intentionem & actionem, ita se ipsis replicatio ad exceptionem & triplicatio etiam ad replicacionem habeat, arg. l. Exceptio 2. §. 1. Et ff. bīc, Glossa Unica in Reg. Exceptionem cit. Jordanus Vol. 3. Lucubrat. Lib. 14. tit. 23. n. 107. & Pirrhing ad hanc Rūbric. n. 46.

Ratio dubitandi verissima est: sed in exceptione intentionis confessionem includi, non evincit; cum necessaria consequentia non sit, solvi: ergo debito fui, rem possideo ex permutatione: ergo in dominio permutantis fuit; quia solvi potuit indebitum, & permutatione facto tantum intervenisse, ut in c. Cām Venerabilis cit. notant Glossa V. Confessio, Panormit. n. 26. & alii magnō numero relati à Paciano de Probat. Lib. 1. cap. 21. num. 15.

Neque urgent, c. Venerabilem 6. §. 4. Praterea cit. relata exempla; quia posteriori hoc textu Fratres, qui vi transactionis, ab Episcopi jurisdictione se exemptos, exceperunt, ei ante subjectos se fuisse, disertè confessos, ex textu confit. Priori autem, censurā ante contraria confessio infertur ex absolutionis petitione; quod hanc ab eo solū, qui se ligatum credit, peti præsumatur, arg. c. Per tum 40. V. Quod si, de Sent. Excom, non ex absolutionis exceptione; hanc enim auctori excipiendō obijcienſ, præcedentem excommunicationem ad fundam auctoris intentionem confiteri non centerit, ut cum Covarruvia in c. Alme, p. 1. §. 12. m. I. V. Secundū, notat Gonzalez in c. Cām Venerabilis cit. n. 12. in fine.

Non de-

35. Non defunt tamen à Regulari hac doctrina exceptiones & causas, quibus excipiens pro confessio habetur: veluti, si exceptioni vg. solutionis confessionem debiti præmitat, juxta c. *Præterea cit.* si adversus confidentem militet præsumptio, vg. contra accusatum de homicidio, si excipiatur, *Me defendendō occidi*; talem enim, si defensionem non probet, pro confessio & homicidii reo haberi, cum Felino in c. *Cum Venerabilis cit. n. 15.* tradit *Padianus cap. cit. n. 29.* & plures alii apud illum & hunc *cap. 23. n. 1.* cum *Glossa cit.* falib[ile]t monentem, in praxi ad evitandos laqueos utendum exceptione conditionata, vg. si mutuasti, solvi, vel patet es de non petendo; cum, reo sic excipiente, intentionem suam probandionus actori indubitate incubat.
36. Alter exceptionis effectus est; quod in iudicio allegata & probata excludat id, quod in intentionem condemnacionem est deductum, *I. Exceptio 2. pr. ff. bīc*: quem suō modō etiam dilatoria exceptio producit; et si enim, illā probatā, reus non, ut probatā peremptoriā, desinat ab instituta actione: interlocutoriē tamen absolvitur à judicij obseruatione; ut id, quod in intentionem deductum est, ad tempus saltem excludat.
37. Dubium est, an exceptiones reo competentes eius hæredibus & fidejussoribus profint. Eas his quoque prodefere, voluerè Dioclet. & Maxim. *I. 7. C. bīc* quā relatum Imperiale rescriptum est, *Defensiones sive exceptiones, quibus reus principalis, integrō statu manente, munitus est, ad intercessores, multò magis ad hæredes, extendi, constat.* Id ipsum suadet ratio, partim; quod omnino incivile sit, eum, qui præ alio, donec liberetur, se obligat, istò exceptionis ope liberatō, in damno versari, & compelli ad solutionem: partim vero, quod, si exceptiones reo, sive debitori principali, adversus actorem, si ve creditorem competentes, fidejussoribus pro illo intercedentibus non accommodentur, exceptionibus suis ipso etiam debitori principali prospectum non sit; cum, à fidejussoribus præstā pro ipsis solutione, obnoxius sit actioni mandati, quā à fidejussoribus conventus reddere ipsis cogatur, quod pro ipso est solutum.
- Sed *I. 7. cit.* hac ratione roboratē dispositio perpetua non est; cum exceptiones, quibus defenduntur rei, fidejussoribus non semper proficias esse, facis perspicue indicetur §. fin. *Instit. de Repli cat.* ubi ea fidejussoribus accommodari dicuntur *Plerumque: non Semper.* Quare communis DD. interpretatio; ne §. cit. dictio *Plerumque* cum textu *I. 7. cit.* pugnet, hāc relatō Impf. rescriptō fidejussoribus accommodari, ait, quascunque exceptiones reales, & rerorum sive debitorum principalium personis, ratione factio[nis], in re facta, competentes: ut sunt Rei judicatae, facta solutionis, pauci conveni de non petendo, *jurisjurandi*, metū, *S. C. Velleiani & Macedoniani* & similes exceptiones; cum propter rationem allatam: tum, quod hujusmodi exceptiones videantur minuere & quasi auferre ipsum debitum principale, sine quo fidejusso tanquam accessoria consistere non potest, *I. Fidejussor 16. pr. ff. de Fidejussor & I. Cum principali 178. ff. de R. J.* Exceptiones autem merē personales, ut sunt, quæ patri, patrono, marito, donatori, Socio, ultra quam facere possunt, conventionis competent, fidejussoribus & ipsis etiam hæredibus prodefere negat; quod tales exceptiones specialiter concessæ sint intuitu pietatis, reverentia, indigentiae: quæ cum illorum, non etiam hæredum & fidejussorum, personas concernant, his non competent merē personales illorum exceptiones; ne privilegi M m m 3 um me.
39. 40.

um merè personale personam ejus, cui concessum est, egrediatur, contra Regulam l. 1. §. 2. ff. de Constat. Princip. qua inter exceptiones reales ac personales distinctione prodita est §. fin. cit. & l. Exceptiones 7. pr. & §. 1. ff. b/c. Zanger p. 3. de Except. cap. 26. n. 216. Zæsius in ff. b/c n. 20. Perez in C. b/c n. 23. & 24. Brune-man. in l. Defensiones est. à n. 1. & Hau-nold. Tom. 5. de J. & J. Tract. 3. n. 334.

Neque personales exceptiones, si fidejusoribus non accommodentur, reo sive debitori principali, vg. patri, marito, donatori inutiles evident; quòd pecuniam pro ipsis solutam repetere queant fidejusores: aut, si nequeant, in damno ipsi versentur; quia fidejusores super rei, sive debitoris principalis, personali, exce-

ptione muniti, debitò conventi petere possunt; ut judicium transferatur in principalem: vel huic demunitare; ut veniens ex propria persona suscepitò judiciorum exceptionem opponat, & fidejusorem non condemnari, suā intereste offendat. l. idem. que 10. §. 12. ff. Mandati. Quod si sit, neque fidejusores in damno verlanuit, neque reo sive debitori principali iure competens exceptio inutilis evadit, cit. Zæsius n. 23. & Perez n. 25. Unde te-tus, exceptiones personales fidejusori-bus accommodari negantes, ita exaudiendi sunt; ut illis hi ex propria sua persona uti non possint: non; ut ipsis etiam non prosint, quando à principalibus, translati in se judiciorum, opponuntur, cit. Zæsius, 23. & Perez n. 25.



TITVLVS XXVI.

De Præscriptionibus.

Premptoriæ Exceptionis species est Præscriptio, quâ bona sive dei possessor pristinum Domini num, rem quasi suam repentem, repellit, ei opponendō possessionem, tempore & modō Legibus definitō, continuatam.

ARTICULUS I.

De Præscriptionis Natura & Honestate.

S U M M A R I U M.

1. Definitio Prescriptionis:
2. Qua confundi solet cum Usucacione:
3. Propriè tamen accepta ab ista differt.

4. Est modus dominij acquirendi:
5. Etiam in foro Conscientia,
6. È dominium auctoritate publica transfertur;
7. Ult cœta sunt rerum dominia;
8. Diminuantur lites;
9. Et res suas conservandi industria euatur.
10. Stricta tamen est interpretationis.
11. Rem præscriptam pristino domino scienter reddens eam revocat negavit.
12. Potest, qui, eam præscriptam, fali.
13. Aut Juris, errore ignoravit.
14. Præscriptioni renuntiari posse, nr. gantum,
15. Et affirmantium verior Opinio. Est e.